



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709


Quæstio XXIV. In Tit. XXIV. De Clerico Venatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

næ, delicti, ætatis, & aliis circumstantiis: cum nimis clarum sit alios aliis maturius pollere iudicio; Sic Vallensis h. t. n. 4.

Not. 5. Ad quæstionem, an Pater conveniri possit, & teneatur ex delicto

fili, sive puberis, sive impuberis, quem in sua potestate habet? responderi ex c. 2. h. t. non Patrem, sed ipsum delinquentem conveniendum; quod etiam iure civili proditum est, ut dicitur in Institutionibus de noxalibus actionibus.



QUÆSTIO XXIV.

IN TIT. XXIV. DE CLERICO VENATORE.

1115



um sint quædam actiones, quæ vel nullo modo, vel non tam graviter apprehenduntur in Laicis, secus in Clericis, de illis nunc tractant Canones. Inter eas est venatio, quam esse triplicem communiter dicunt, primò venationem *oppressivam*, in qua quis est oppressor hominum, eos nimium cogendo ad labores venaticos, de quâ insinuat aliquid c. *fin.* §. *fin.* dist. 6. Secundò *arenariam*, in qua quis pugnat cum bestiis; quæ communiter adjunctum habet vitæ periculum; & *artem nequissimam* vocat Augustinus c. *qui Venatoribus*; c. *Vidit*; dist. 86. Tertio *sylvaticam*, *aucupativam*, & saltuosam, & de hac in præsens sermo est, quando venatio

fit *cum strepitu*, hoc est, per canes, accipitres, falcones, & similia. Hæc interdicitur Clericis c. 1. & 2. h. t. quia pugnat cum professione & statu Clericorum, Hinc, si Episcopus sæpius ejusmodi venationibus det operam, tribus mensibus à communione; si verò Presbyter fuerit, duobus; si Diaconus, aut Sub-Diaconus, ab omni officio suspenditur cit. c. 1. h. t. Constituti autem in minoribus puniuntur arbitrio Judicis. Hanc tamen prohibitionem intellige de venatione saltuosa, cum clamore, strepitu armorum, frequenti, & avocante à divinis officiis; non autem moderata, & quieta, etiam causâ honestæ relaxationis. Sic Lessius lib. 2.

de Just. c. 5. dub. 9. n. 40.



QUÆSTIO XXV.

IN TIT. XXV. DE CLERICO PERCUSSORE.

1116



Um Clericos dedecet clamorosa venatio, multò magis dedecet aliorum immoderata percussio, non autem moderata correctio. Quare Clericus percussor, si monitus non desistat, depnari jubetur c. 1. h. t. & si Episcopus jusserit aliquem cædi crudeliter fustibus, ab administratione Missarum per duos menses suspenditur; c. 2. eodem; decet enim Clericos peculiariter *mansuetudo*. Unde sibi

subjectos non tam verberibus, quàm verbis corrigere debent; nec Episcopos, & Superiores Ecclesiasticos decet, manibus propriis aliquem cædere, ut dicitur in c. *Universitatis*, de sent. excom. & c. *non licet*, dist. 86. nisi necessitas exigat. Abbas tamen Regularis, Monachum, causâ regularis disciplinæ, etiam in propria persona vel per alium Clericum, aut Monachum, verberare potest, ut docet Diaz apud Pirhing hic n. 1. videtur tamen non decere, nisi aliter corrigi non posset.

QUÆ-